



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

IX. Clericus ex dono militis ecclesiam vendicare non potest, sed tantum  
ius patronatus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

niebat. Alias autem literas & ad abbatem de Fontibus, & priorem de Gissemburne reportauit, in quibus continebantur, prædictum Vu. post appellationem ad nos factam intrasse, & ipsum prius fuisse violenter electum; illi, amoto alio, ecclesia redderetur. Cumque idem V. a iudicibus delegatis citatus, sibi dari canonicas inducias postulauerit, & ipsi dilationem ei dare penitus renuerint, existimantes quod literæ istæ per falsam suggestionem essent impetratae, & quod nos de facto non fuissimus plenius instructi, a falsa suggestione ad nos appellauit, & a præsentia iudicium recessit. Iudices vero, quoniam in causa principali sublatum fuerat appellationis remedium, auditio testimonio quorundam, qui eumdem R. in possessione ecclesiæ illius esse viderunt, & interdum synodalia soluere, eidem possessionem eiusdem ecclesiæ adiudicauerunt, & ipsum per nuntios de eadem ecclesia inuestiri fecerunt. Verum quoniam dubium nobis & incertum existit, an prædictus R. ita nos falsis suggestionibus circumuenire præsumpsit, & nemini fraus propria vel dolus debet prodesse: discretioni vestrae, &c. quatenus cum exinde fueritis requisiti, in unum pariter conuenientes, utramque partem ante præsentiam vestram conuocetis: & eorum inquisita veritate, quæ hincinde fuerint dicta, & plenius cognita, causam ipsam, appellatione remota, fine canonico terminetis: scilicet, ut si vobis constiterit, quod crimen illud notorium fuerit, quod timore illorum dictus R. religionis assumpserit habitum, & idem V. per archiepiscopum fuerit canonice institutus, ei ecclesiam ipsam, occasione & appellatione remota, restitui faciatis, & libere pacificeque \* dimiti, non obstantibus literis nostris, si taliter fuerint, ut diximus, impetratae.

Nemini  
suum do-  
lum prodes-  
se debere.

## C A P. IX.

*Idem\* Exoniensi & Vigorniensi episcopis.*

Si vobis constiterit, clericum de dono militis ecclesiam vendicare, super ecclesia illi, nostra freti auctoritate, appellatione cessante, perpetuum silentium imponatis. Si vero ius patronatus ex dono eiusdem militis in ecclesia illa requiritur, vos causam audiatis, & concordia vel iudicio terminetis.